



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An gratia & donum in gratia, sint idem. tit. 54

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

fidem. Nec vna res sunt fides & gratia, licet vnum sit id est, fides ab alio, id est, gratia. Gratia non est fides infusa. Nam illam distinguit Apostolus à charitate, id est, gratia, gratum faciente, 1. Cor. 13. Maior horum charitas. Neque fides acquisita, quia illa est actus hominis, & consensus. Gratia autem merum donum Dei, à Deo solo creatum in anima hominis, Rom. 10. Non omnes obediunt Euangelio, &c.

*AN GRATIA ET DONVM
in gratia sint idem.*

TITVLVS LIIII.

P R I M ò, Gratia est immeritus fauor, immerita misericordia D E I erga nos propter Christum. Hic fauor & misericordia Dei, præcedit omnia dona, quæ in gratia donantur, omnem iustitiam, omne meritum hominis. Nam ante constitutionem mundi, Ephes. 1. elegit nos in Christo & fouit, & dilexit, & hoc ad laudem & gloriam gratiæ suæ. Non igitur ex operibus est gratia: alioqui gratia iam non est gratia, Roman. 11. Ideò est immeritus fauor & misericordia Dei, gratia, qua ab æterno in mente diuina propter Christum dilecti sumus, antequàm nati fuimus, sicut dicitur Gen. 25. Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Nondùm erant paruuli nati, Roman. 9.

Secundò, Hęc gratia, id est, immerita misericordia propter Christum, est causa, fons, origo, magistra iustificationis, vocationis ad fidem, magnificationis quæ nos in præsentem per opera magnificat & glorificat in cælis, Roman. 8. Si enim Iacob eligitur, antequàm natus, Genes. 25. & nos ante mundi constitutionem electi sumus in Christo, Eph. 1. Ergo sola gratia Dei iustificat & saluat, & solus Deus propter semetipsum iustificat, & causam à seipso accipit, quòd

M m 3 propter

propter Christum iustificat, E sai. 43. Ego sum Deus, qui deleo iniquitates tuas propter me.

Tertiò, Gratia Dei operatur nostram iustificationem & salutem per media, idèd sic ab æterno electi in mente diuina, dat Deus spiritum sanctũ, id est, dona & fructus, Gala. 5. id est, fidem, dilectionem, timorem, patientiam, obedientiam &c. Et per hæc media ipsa gratia & misericordia Dei, quæ est sola auctoritas iustificationis, vocat ad Euangelium, iustificat, glorificat: nõ media, id est, fides, dilectio, timor, opera preceptorum, &c. iustificat, sed ipsa gratia Dei per hæc media, propter Christum, operatur iustitiam, &c.

Quartò, Ex hoc liquet differentia inter gratiam & dona in gratia, Rom. 5. Gratia fuit ab æterno in mente diuina, sed iam in tempore eadem gratia per media iustificat & saluat. Et sic tota iustificationis & salutis causa trãsfertur in Deum, à quo nobis propter Christum omnia contingunt, in illo complacuit patri, ut bi reconciliari omnia, Coloss. 1.

Quintò, si res tota pendet à gratia propter Christum, ad quid exigitur fides & obedientia legis &c. Respond. Deus vult, vt suam gratiam, qua te iustificat gratis, apprehendas per fidem, & retineas per dilectionis opera, ne eam iterum amittas. Nisi enim gratiam apprehendas & retineas, nihil prodesset: tamen fides & dilectio tua non est DEVS vel gratia Dei, sed dona in gratia, per quæ Deus iustificat propter Christum.

Sextò, si solùm apprehendo & retineo gratiam per fidem & dilectionis opera, nullum erit præmiũ operum? Resp. Nullum ex debito, sed ex promissione præmium, & promissio ex gratia est. Idèd ultra hoc quòd media apprehendunt & retinent gratiam, ipsam suam habent præmia &c.

Ecclesia Catholica omnia quæ tribuit gratia, &c. &c. tribuunt fidei soli, Ecclesia docet, quòd gratia iustificat.

ificat. Rom. 3. Gratis iustificati gratia ipsius. Gratia Dei propter Christum donat spiritum sanctum, Ioan. 14. Gratia propter Christum donat vitam æternam, Roman. 6. Gratia ante omnia opera meritoria iustificat, Actor. 15. Gratia Dei sumus, quales sumus, 1. Cor. 15. Hæc gratia & misericordia eligit, vocat, iustificat & glorificat, Rom. 8. Ephe. 1. Sed hæc omnia se-
ctæ tribuunt soli fidei, cum tamē fides solūm apprehendit id, quod gratia efficit. At efficere & apprehendere, differunt. Gratia præcedit fidem, &c.

*AN GRATIA DEI, QVÆ
semper plena est & tota, possit au-
geri vel minui.*

TITVLVS LV.



Rimò notādum, q̄ Deus non dat di-
midium aut partē gratiæ, nec mise-
retur ex parte aut dimidio, sed ple-
nè & totaliter semper cōfertur gra-
tia cui cōfertur, sicut nulli datur di-
midius sol, aut pars, sed totus sol lu-
cet cuiq̄. Nā sol non potest in se diuidi, sic nec gratia
Dei ex se & sua natura potest augeri & minui, &c. Si-
cut nec Deus maior & minor fieri, neq̄ diuidi potest.
Deus spiritus est, Ioan. 4.

Secūdò, quòd gratia dicitur augeri vel minui, hoc
dicitur ratione præmij operū, vt qui plurimūm ope-
ratus fuerit, plurimūm etiam præmiorum obtinebit.
1. Cor. 3. Vnusquisq̄ mercedem suam accipiet secun-
dum suum laborem, id est, iuxta gradus laborum. Et
1. Corint. 15. Differt stella à stella in claritate. Secun-
dum ergo, quod quisque vsus est donis Dei, ita plus
vel minus de præmio gratiæ accipiet, ipsa gratia di-
stribuit de præmio plus aut minus iuxta laborem.
In se tamē semper manet indiuisa, sicut exemplificat

Mm 4

Cypria-